

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0321

0319

0325

0315

0330

Denique Papa ultra summam excommunicationis latam contra eum ordinavit, ut rex Jerusalem Johannes, qui tunc in Lombardia erat, cum exercitu ecclesiae armato in regnum Apuliae intraret et homines ad sui favorem inclinaret ad rebellandum imperatori. Unde Johannes multas civitates et loca Apuliae cepit. Quod ut imperator percepit, praefectum in Jerusalem et in regno dereliquit suum sinisallum et in Apuliam rediit et recuperavit perdita.

0310

0370

0270

Porro terrae sanctae praefectus sinisallus concitabat multa mala contra Christianos et eorum castra expugnabat, et quia ipse gubernare non potuit, ea Sarracenis dedit et ita propter dissensiones ipse sinisallus superatus interiit et totum regnum Jerosolymitanum in potestatem Sarracenorum revenit.

0420

0220

0820

Videns autem Papa terrae sanctae negotium pejoratum ex imperatoris ficta concordia, convocavit fratres Praedicatores et Minores injungens eis crucis praedicationem per occidentem pro terrae sanctae subsidio.

Collecto ergo maximo exercitu anno Domini 1230. iter marinum adgressi sunt et in Achon applicuerunt. Erant autem in illo exercitu multi nobiles et insignes viri. Cum autem per aliquot dies quievissent in Achon, deliberaverunt invadere aliquam Sarracenorum munitionem. Comes Vorbricaniae sine consilio cum sibi adhaerentibus exivit et expugnatibus aliquibus municipiis maximam praedam hominum et animalium secum traxit. Hoc videntes caeteri provocati similia attenterunt; igitur ordinatis copiis de mane urbem egredientes et per Palaestinam ambulantes in sabulo tota die et nocte altera die viderunt, se esse juxta Gazam civitatem, in qua erat tunc magna Sarracenorum congregatio, qui praescientes nostrorum adventum insidiis positis, cum nostri non timerent, eruperunt et magnam stragem fecerunt in nostrates, ita, ut omnes aut occisi aut capti essent et pauci in Achon revenirent. Interea frater regis (287 A) Angliae Richardus cum magna comitiva superveniens Achon inveniensque turbatum exercitum et considerans, se nihil posse agere contra Sarracos, treugam fecit cum eis per VIII annos.

Ende

Anfang

